

S C O T I A.

religio cognita sit, virtutes hæ quæ penuriam & parsimoniam sapiunt, sunt *Chami* illius execrationes & maledictiones potius quam *Christi* imitamenta, qui vetat nos de crastino nimis esse sollicitos.

*Orcades* insulæ Boreali *Scotia* regioni in sævissimo ac summe procelloso mari objectæ, triginta plus minus numero censentur: quarum tabula & descriptio sequitur. In his nec serpens venenosus, nec tetra ulla bestia degit. Cælum subtile ac salubre: solum avenam tantum & hordeum ferendo aptum est: lignorum vero, sive arborum omnino indigum. Ex his *Pomana* maxima & primaria est, Continens habita, unde & *Mainland* dicta: sex plumbi atque stanni mineris dives, & in præcipuo illius oppido sedes Episcopalis constituta est. In ea duodecim parœciales Ecclesiæ numerantur: ac una quidem ex illis pro regione adeo remota, sane magnifica.

Magis in Septentriones & ulterius quam quod hæc Charta Chorographica satis commode oculis exhibere potuit, insula *Schetlandia* posita est: quam *Thulen* insulam quidam existimant, & Commentariorum in *Horatium* Author *Fortunatam* esse voluit, ubi ut *Tzetzes* fabulatur, animæ bonorum defunctorum in *Elysios* campos semper virentes transportantur, unde *Julius Cæsar*, ut *Muretus* scripsit, ægre potuit retrahi. Sed in argumentum, hanc *Schetlandiam* ipsissimam fuisse *Thulen*, præter *Prolemei* posituram, *Saxo* etiam *Grammaticus* citatur, qui eam inter *Norvegiam* & *Scotiam* collocavit, & *Solinus*, bidui navigatione à *Caledonia* promontorio. *Tacitus* etiam *Thulen* à *Romanis Britanniam* per *Orcadas* circumnavigantibus dispectam procul fuisse dicit, & postremo *Mela*, *Bergæ*, *Vrbi Norvegiæ*, objectam esse affirmat.

